



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

I. Archiepiscopi Coloniensis in Germania auctoritas & vires.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

cipes Ecclesiastici qui merum habent imperium, non nisi eos qui Catholicam profiteantur religionem, in ditione sua ferre necesse habeant. Idem ius est Principibus secularibus. Quod vero nonnulli diuersas tolerant religiones, si metu rebellionis sive tumultus. In libro Concordiæ extat decretum, quo cauetur, ne vel Princeps vel quicumque Status Imperij alterum Statum aut Principem, suam recipere cogat religionem, multo minus vero aliter subiectos, in contumeliam legitimi magistratus, in patrocinium suscipiat. Quamuis autem lex illa rigida videri possit, facit tamen pacis desiderium, ut non iniquissimo animo feratur. Quod si apud aliquem plus possit conscientiæ vis quam domini metus, et alio commigrandi datur facultas; recipiendi tamen eundem contra legitimum magistratum defendere licet. Si vero Princeps aliquis Ecclesiasticus deserta religione, uxorem velit ducere (vix enim alia eiusmodi metamorphoseos causa occurrit) ei ditione statim auferatur, acque omne quod habuit imperium, ut quod ab Ecclesia dependet, abrogatur. Hanc quidem legem Protestantes non semel infringere acque abolere conati sunt. Vidimus in campum productas acies, & muros passim ariete percussos, in diocesi maxime Coloniensi, ubi duo Episcopi à Catholica defecerunt religione, Principatum nihilominus ac ditionem retinere summis viribus annixi. Veruntamen effecere nihil, fugati sunt & misere vitam terminarunt. Hermannus Episcopi historiam supra explicauimus; alteram Gebhardi etiam breuiter recenscamus: quorum vterque in summa Electorali dignitate antea constituti, postquam Lutheranismum nomen dedecunt, ad summas miseras atque inopiam fuerunt redacti.

DE ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS  
sanctimoniam uxorem ducentis  
apostasia & ruina.

CAPITULUM XIV.

ARGUMENTVM.

I. Archiepiscopi Coloniensis in Germania auctoritate & viros.

II. Truchsessus Agnetem Mansfeldensem deperit.

III. Eorum amores divulgantur.

IV. Femina causa religionem deserit.

V. A Gregorio XIII. PP. excommunicatus & depositus, Archiepiscopatum armis recuperare tentat.

VI. In eius locum nonus Archiepiscopus à Bauarorum Principum familia Eruestus surrogatur.

**Q**uandoquidem de hæreseos decrements dicere copimus, ab instituto non alienum erit infelicem Coloniensis Archiepiscopi fortunam hoc loco commemorare, in ditione illo Quinqueecclesiatum Episcopo, de quo præcedenti libro diximus, multo infelicitioris. Ex qua narratione liquido constabit, Lutheranismum ea in regione ubi regnum obtinere videtur, ibidem iacere, ac pacem animam agere. Est vero Coloniensis Archiepiscopus inter Germaniæ principes magnæ admodum potentia, & inter Ecclesiasticos maximas possidere diuitias existimatur. Hinc ut Constantiensis Episcopatus in Germania amplissimus (ut cuius iurisdicção longelateque pateat) Argentoratensis nobilissimus, Spirensis religiosissimus, sic Coloniensis opulentissimus pro uerbo apud Germanos, ac post Romanam urbem, Coloniensis ciuitas in fide Constantissima, & ipsi B. M. V. coram æstimatur. Huius Ecclesiæ prima fundamenta a Materno S. Petri discipulo iacta sunt: cuius etiam singularis in fide Christiana constantia, & perpetua erga S. Apostolicam Sedem ad hoc usque tempus fuit reuerentia; adeo ut publico hoc elogio gaudeat: COLONIA FIDELIS ROMANÆ ECCLESIAE FILIA (A) Archiepiscopi huius loci fere ex Principum numero aut illustri aliqua familia leguntur; iidemque Septemviralium seu Electoralium dignitate sunt conspicui. Ditionem habent quam amplam cum opulentiam; quæ, præsertim a pulchra oppida componitur, in qua summum Archiepiscopus habet imperium. Ad Archiepiscopatum hanc pertinet Principatus Agrippinensis tempore Ottonis Magni valde auctus, per Rhenum ripam à Confluente Mosella & Rheno ad Rhenum diuersigium iuxta Insulam Batavorum proten-

2 Videtur Colonia Coloniensis Sacrum Agrippinense VVinhertz. Broelmanni Epitagma etc.

senfus. Cui deinde accessit Angariæ & VVestphaliæ duplex Ducatus, à Friderico Imperatore Henrico Leoni proscripto ereptus, & Ecclesiæ huic doctus, Comitatus item Arnbergensis & alia.

II. Luthero in Germania Christianam concordiam ac pacem turbantur, Hermannus Comes de VVeda, qui rum Episcopatum regebat, à Bucero incantatus, de mutanda religione & Lutheranismò intioducendo cogitare cœpit: cui tamen Capitulum seu Canonicorum Collegium, in quo plerique magnis ac potentibus familijs erant oriundi, sese opposuit: actandem eò res deuenit, vt Pontificis atque Imperatoris decreto, omni tam politica quam Ecclesiastica administratio Hermannò ablata, eique alijs à Capitulo, frustra renitentibus Lutheranis confederatis, fuerit surrogatus quia in causa etiam & Canisus operam suam perorando posuit. Colonia tunc P. Petrus Faber, primorum vnus ex Societate Iesu, Ignatij contubernans, Catholicam religionem non parum promouit, quamuis Latine tantum concionaretur (quod eius loci ciuibus Latina lingua ita communis sit, vt vernacula vel domesticaripis videri possit) inter alios à Carthusiensis ordine benigne admodum ac munifice susceptus & adiutus, vti ex litteris eius Conuentus Anno M D XLV. à Ribadeneira historiz suæ de Ignatio inferis, videre est. Quemadmodum vero Bucerus miserum hunc Principem ad ruinam impulit, sic Faber Buceri conatibus in primis obstiterit, adeo vt is Argentoraturn vnde venerat, Hermannus vero abdicato Episcopatu & Electorali dignitate, ad priuatam atque inopem fere vitam redire sint coacti (b).

Nihilo Hermannii exemplo & ruina sapientior factus Gebhardus Episcopus, ex illustri Truchsesiorum VValdburgenſium familia (quæ præclarissimos bello & pace viros aduersus hæresim propugnatores etiam optimos Germaniæ dedit) ortus, & ipse similem insaniam inſeſcit. Hic quum in Comitij quibusdam Colonia celebratis, conspexisset forte fortuna, alij in magico Scoti illius celebri præstigiatoris speculo formosissimam quandam Canonissam, è Mansfeldensium Comitum genere progeneratam, contemplatus esset, vehementissime statim eam deperire, adeoque nihil aliud quam quomodo capoti retur, cogitare cœpit: nec prius conquieuit quam eam seductam, Brulæ clam apud se domi haberet. Quamuis autem facinus hoc suum magno studio celare cupere

ret (siquidem etiam ipsum vitium suæ turpitudinis quodammodo pudet) tamen vt ignis sub cineribus aliquamdiu latens, mox fumo sese prodit; ita turpis hic amor vel incestus potius diultere non potuit.

III. Vt ergo etiam occultissima quæque tempus aperit & in lucem protrahit; sic incestuosus hic amor tandem ad omnium fere noticiam peruenit. Mirari omnes, quæ ac detestari iniuriam Deo, Ecclesiæ, religioni, Archiepiscopali dignitati, adeoque publicæ honestati factam, atque ad eam vltiscendam Catholicos Principes cohortari. Agnetis (id enim nomen feminae huic fuit) cognati, familiae suæ honorem hoc facinore periclitari ægre ferentes, precibus, minis, conuicijs apud ægrum amore animum instabant; vt incestum nuptijs cohonestaret, sic vt miser ille extremo huic malo extremum quærere remedium decreuerit.

Audiens ergo quotidie miser Ecclesiam sibi incestuosos amores ac raptum Deo dicatæ virginis exprobrantem, animo fluctuans, tandem omnia miscere constituit, ac non cœlibatui tantum & castitati, verum etiam ipsi Deo nuncium remittere.

*Nam quod non facinus designet, qui semel omnem  
Expulſis ex anima spreta virtute pudorem?*

IV. Vt ergo amoribus suis honestatis aliquod velum prætereret, maiorum deserta religione, ad hæresim deposita quæ hæctenus vsus fuerat simulatione, transiit, noua religionis forma partim è Lutheranismò, partim è Calvinismò constata. Sacerorum igitur hunc ritum inducere tentauit; *vt ante Missam cantaretur Psalmus, inde caput aliquod è Nouo Testamento legeretur; adiuncta Collecta Tum aliud caput è veteri Testamento legeretur, ac rursus alius cantaretur Psalmus. Tum Fidei recitato Symbolo concionator sermonem haberet: quo finito, generalis explicanda Fidei Confessio, & Cantillaretur rursus. tum S. Cæne institutio recitaretur, vna cum verbis Consecrationis. Iterumque breuis cantaretur hymnus, & Eucharistia sumere volentibus administraretur: tandem vero tota actio Collecta & benedictione clauderetur. Ex in his quidem orationibus vernacula tantum lingua liceret*

*b Vide Meshouium de Hermanno Colonienſi  
Archæepiscopo ex authorato excuso Colonia &c.*